



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE
BOLLETTINO

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
دار الصحافة التابعة للكرسى الرسولي BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIE

N. 240831e

Saturday 31.08.2024

Letter of the Holy Father to the special Envoy to the Mass at the Sanctuary of the Madonna dell'Arco of Sant'Anastasia (8 September 2024)

On 10 August 2024 the Holy Father appointed His Eminence Cardinal Marcello Semeraro, prefect of the Dicastery for the Causes of Saints, as his special envoy to preside at the Mass to be held on 8 September 2024 at the Sanctuary of the Madonna dell'Arco of Sant'Anastasia, Naples, on the occasion of the 150th anniversary of the coronation of the sacred image.

The papal legate will be accompanied by a Mission composed of the following ecclesiastics:

1. Don Tommaso LUCANIA, of the clergy of Nola and parish priest of *Santa Maria La Nova di Sant'Anastasia*;
2. Msgr. Pasquale DE LUCA, of the clergy of Naples, in service at the Dicastery for the Clergy.

The following is the Holy Father's letter to the papal legate:

Letter

Venerabili Fratri Nostro
MARCELLO S.R.E. Cardinali SEMERARO
Praefecto Dicasterii de Causis Sanctorum

Insignes profecto testificationes annorum progressu singularemque pietatem in Virginem Mariam tribuere consuesse in orbe terrarum fideles probe scimus. Id contingere terram Campaniae in dilecta Italia pro comperto habemus, ubi fidelium multitudo decurrit ad spectabile Mariale Sanctuarium Deiparae ab Arcu appellatae apud oppidum Sanctae Anastasiae, Neapolitana in provincia. Centesimus eventurus est et quinquagesimus annus ex quo tempore, die videlicet VIII mensis Septembris anno MDCCCLXXIV, Beatae Mariae Virginis imago aureo diadematata redimita est ex voluntate beati Decessoris Nostri Pii IX. Hoc in Sanctuario sacra haec effigies pii

obsequiis colitur et a sodalibus Ordinis Praedicatorum plus quam quattuor saeculis assidue custoditur.

His spectatis rebus, libentes volentesque Reverendi Patris Ioannis Pauli Pagano, O.P., Prioris et Rectoris clari Sanctuarii optatis subvenire cupimus, qui quaesivit ut Pater Purpuratus nominaretur et celebrationi CL anniversariae memoriae coronationis imaginis Deiparae Virginis ab Arcu sollemniter proxime agendae praeesset.

Nos permagna permoti animi affectione te, Venerabilis Frater Noster, qui singulare exerces munus Praefecti Dicasterii de Causis Sanctorum, destinare studemus ad dictam celebrationem, ut ritus ipse congrua sollemnitate evolvatur et pari dignitate absolvatur. Quocirca praestabilem simul aestimationem tibi significantes, his Litteris te MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM constituimus, ut eventui illi die VIII insequentis mensis Septembris celebrando praesisis ipsamque vocem Nostram signifiques.

Omnes quippe huius celebrationis participes adhortaberis ut, animis cum sanctissimi Redemptoris animo coniunctis, universorum donorum ex intercessione Beatissimae Virginis Mariae a Deo Patre impetratorum plene sint consciit eaque ceteris impertienda possint conferre. Patrem Priorem Rectoremque Sanctuarii, omnes adstantes sacros Praesules, sacerdotes, religiosos viros mulieresque et christifideles laicos Nostro salutabis nomine Nostramque iis ostendes benevolentiam. Oremus igitur et obsecremus hodie Virginem Mariam, ut nostrorum temporum omnibus nobis sinceram, fortem, inviolabilem impetret fidem, in obscuris et in dubiis patientem atque constantem, eam scilicet fidem, quam beatus Ioannes Apostolus nostram esse dicit victoram, quae vincit mundum (Cfr. 1 Io. 5, 4).

Caelestium verum donorum conciliatrix et nuntia esto Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater Noster, libenter in Domino impertimur, quam item ad omnes congregatos volumus pertinere, a te et ab illis petentes auxilium precationum vestrarum pro officio Nostro Petrino prospere exercendo.

Datum Romae, Laterani, die XV mensis Augusti, in sollemnitate Assumptionis Beatae Mariae Virginis, anno MMXXIV, Pontificatus Nostri duodecimo.

FRANCISCUS
